

R. P. D.

SCOTTO

Hiſpalen. Decimarum.

Lunæ 11. Februarij 1715.

INformante tantùm Capitulo Metropolitanæ Eccleſiæ Hiſpalen., licèt reſolutum fuerit coram me in Audientia diei 13. *Februarij* 1713. aduersùs tres præcedentes Sententias in partibus latas, deberi dicto Capitulo Decimas ex quodam Horto magno intrà ſepta Conuentus *Sanctæ Mariæ de Remedios* nuncupat. extrà Muros Ciuitatis Hiſpalen. exiſtente; vbi degunt Patres Carmelitæ, nihilominùs hodiè renouata diſputatione in va-

lido vtriusque Partis Contradictorio, Domini redeuntes ad sensum dictarum trium Sententiarum *recesserunt à Diœcesis.*

Distinguentes enim DD. partem controuersi Horti, quæ ab antiquo pertinuerat ad Patres Carmelitas vsquè ab initio fundationis prædicti Conuentus Sanctæ Mariæ ab altera parte magis recentèr de anno 1652. ab ipso Capitulo Contradictore per contractum Permutationis cum quibusdam Domibus acquisita, vtramque crediderunt immunem,& exemptam à solutione Decimarum; Quo enim ad primam exemptio à Decimis proficiscebatur,nedum à dispositione iuris, secundum quam dictus Hortus antiquiuus tanquam fundus assignatus in prima erectione Ecclesiæ, seu Conuentus remanet immunis à quacumque solutione Decimarum ex mente ipsius *cap.nuper de Decim*, vt tradit *Cardinal. de Luca eodem tit.discurs.*1.*num.*4.; verum etiam ex lapsu centum, & vltrà annorum, in quo nulla, vel minima ex dicto Horto veteri soluta fuit, vel petita Decima: Etenim in tam longo temporis interuallo ius nostrum indulget præscriptionem cuiuscumque obligationis, & signantèr illius soluendi Decimas, *Fagnan. in cap.nuper nu.36. de Decim.*, *Cardin.de Luca discurs.1.num.25.de Decim.*, *Rota decis.724.num.2.coram Emerix iun.*, ea ratione, quia habens pro se centenariam præscriptionem, habere etiam dicitur præsumptionem, & facultatem allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem, & signanter Apostolicum Priuilegium *Rota decis.*101. *num.*31.*par.*10.*& in Posnanien.Decimarum* 22.*Aprilis* 1701.§.*Ipsis siquidem cor.Reuerendiss.Conchen.*

Quo verò ad aliam partem Horti recentem cum veteri incorporatam, ad quam restringebatur difficultas, peculiari, & validiori etiam titulo exemptio apparuit subnixa, quia,scilicèt, illam titulo permutationis cum dictis Domibus ab omni, & quocumque onere etiam Decimarum liberis, & exemptis acquisiuerant Patres Carmelitæ ab ipso Capitulo moderno contradictore expromittente similem libertatem, & exemptionem Horti ab omnibus, & quibuscumque oneribus cum obligatione omnium, & singulorum bonorum suorum pro manutentione eiusdem libertatis, ac propterea cum in dicta permutatione Capitulum sibi non reseruauerit prætensum ius decimandi, res permutata libera, & immunis transiuit in Conuentum iuxtà theoricam *Benedict. de Plumbino in leg. si is cui ff.de stat.liber.*, quam exornant *Boer.cons.97.num.9.Cepoll. de calc.cap.239. aliàs calc.92.*, *Cancer.var.resol. par.2. cap.4. numer.*210., & in terminis seruitutis sublatæ per transitum rei in emptorem, cui seruiebat, quod si iterum distrahatur per eundem emptorem nominatim imponenda seruitus sit, alioquin veniat libera, est *Textus in leg.si quis ædes ff.de seruit.Vrb.prædior.*, *Bald.*, *& Castren.ibidem num.*2.

Duplici æque valida vrgente ratione ex visceribus ipsius contractus

permu-

Permutationis desumpta, altera, nempè, quod possidente Capitulo Hortum controuersum, iam prętensa seruitus Decimarū euanuerat, cùm non posset consistere in re propria *leg. in re communi ff. de seruit. Vrban. prædior.*, *Rot. decis. 23. num. 2.*, *& 3. par. 2.*, *& coram Bich. decis. 528. num. 19.*, & ideò eadem seruitus Decimarum ampliùs non existens, non potuit transferri in Conuentum, nisi iterum fuisset litteralitèr, & expressè constituta, *Cenc. de cens. quæstion. 114. num. 4.*, *Rota decis. 27. num. 6.*, *& 7. par. 14. rec.* Altera verò, quia quemadmodum Capitulum tanquàm vigore contractus expressè obligatum ad manutentionem libertatis rei permutatæ teneretur præstare summam, pro qua inferuntur molestiæ, & euertitur promissa libertas ex prætensa seruitute decimandi, ex communitèr notatis per *Vrceol. consult. 65. num. 1.*, & in terminis Decimarum *Rota in Bononien liberationis à molestijs 27. Martij 1713. §. Etenim coram R.P.D. meo Lancetta*, itá multò minùs dictum Capitulum promouere valet actionem pro dicto prætenso iure decimandi, quem enim de euictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio, *leg. vindicantem ff. de euict.*, *Surd. decis. 99. num. 10.*, *Rota decis. 275. num. 17. parte 8.*, *& decis. 41. num. 16. parte 11.*

Rationibus mox dictis satis superque de per se vrgentibus ad conuincendam Immunitatem à Decimis, vrgentiora etiam, & sempèr magis stringentia superaccedebant argumenta desumpta ex natura Contractus, illiusque verbis ex mente Contrahentium, & ex obseruantia, & quidèm ex natura Contractus, in quo quemadmodùm Patres Carmelitæ Domos tradiderunt Capitulo liberas, & exemptas à quocumque onere etiam Decimarum, itá iustum vndiquè fuit, & necessarium, quod idem Capitulum Hortum controuersum dictis Patribus cum eadem libertate, & Immunitate retrocederet, ac retrodaret, quia Contractui Permutationis proprium, & connaturale est, quod res in Permutationem data assumat omnes, & singulas qualitates, ac naturam rei, in cuius locum permutatur, & subrogatur, *Soccin. Sen. cons. 268. num. 4. libr. 2.*, *Guttier. cons. 5. num. 20.*, *& 21.*, *Pelizar. manual. regul. tom. 2. tract. 8. cap. 8. num. 178.*, *Pirhing. in Ius Canon. lib. 3. tit. 3. n. 77.*, *Passerin. in Decretal. tit. de Decim. qu. vnica artic. 5. §. Finali*.

Naturæ Contractus correspondebant verba, in quibus Capitulum semèl, atquè iterùm promiserat libertatem Horti, illumque tradiderat immunem, & liberum ab omnibus, & quibuscumque oneribus; Si enim ex quo Hortus remanserat pęnès Capitulum non Decimabilis, nequaquàm poterat transire in Patres, nisi per Capitulum fuisset litteralitèr, & expressè constitutum, siuè reseruatum onus Decimarum, vt patet ex superiùs dictis, tantò magis, & à fortiori locum sibi vindicare debet Immunitas, vbi,

proùt hìc, nedùm per Capitulum non fuit reseruatum prętensum Ius decimandi supèr Horto, sed potiùs supèr illo amplam, & effrenatam à quocumque onere promisit exemptionem, & libertatem, ex collectis per *Roland.cons.2.n.43.,& seqq.lib.4., Menoch. cons.10.n.10., & cons.192.n.9.*

Stante siquidem dicta promissione libertatis, & Immunitatis etiamsi Hortus fuisset præcedentèr Decimabilis pænès Capitulum, non tamen posset penès illud permanere prætensum Ius decimandi, quod translatum dicendùm esset in Conuentum vigore contractus Permutationis, & promissæ omnimodæ libertatis ab omnibus oneribus, Censibus, & Tributis, neutiquàm verificabilis, vbi Hortus subesset Decimis, quæ dicuntur onera realia, resistentia libertati, non secùs, ac sint collectæ, & Tributa, *Federic. de Sen. cons.81.n.2., Valenzuel.cons.33.num.37., Card.de Luca de Decim. disc.5.num.12.*

Vrgentior etiam accedebat mens Contrahentium à proprijs, & originarijs fontibus deriuans, videlicèt à quantitate pretij, siuè valoris, & à Causa finali contractus; Nàm Hortus consueuerat per Capitulum locari dumtaxàt prò annuis ducatis 200., quandò è conuerso Domus per Conuentum traditæ consueuerant locari pro ducatis 230., ac propterea per necesse in Contractu compræhenditur Immunitas, & Exemptio Decimarum, cùm illud plus, quod ex locatione Domorum percipiebatur; cedere debeat in compensationem plenæ Libertatis Conuentui promissæ etiam à Decimis, quatenùs adessent, *Alciat. cons. 44. num. 6. libr:8., Rota decis.58.num.5., & 6.part.13.*, nè aliàs contractus claudicet in correspectiuitate libertatis dati, & accepti, & remaneat inæqualis, & leoninus *Crauett. cons. 973. num. 12., Bursatt. cons.237. num.6., & 7., Riminald. Iunior. cons. 199. num.14., Menoch. cons.92. num.41., & Rota in Romana Rescissionis Contractus 18. Aprilis 1701. §. Attamèn coram Reuerendissimo Decano.*

Causa verò finalis non alia fuit, quàm illa Vnionis faciendæ de dicto Horto cum alio Horto veteri proprio eiusdem Conuentus, adhoc, vt illa mediante possent Patres, vberiores colligendo fructus, subuenire propriæ substentationi, & familiaribus angustijs, quibus præmebantur; Sub qua Causa, & non aliàs Reuerendissimus Nuncius Sanctæ Sedis Apostolicæ contractum propria authoritate roborauit tanquàm dictis Religiosis vtilem, adiecta etiam ratione vtilitatis, quia scilicèt ex Horto, deductis oneribus, retrahebantur dicti annui ducati 200., cum quibus Religiosis poterat subueniri, vt ex tenore Instrumenti fidelitèr dato in *Summario Patrum num.2. litt. B., & seqq.*, quapropter sicuti antiquus Hortus, siuè Mansus potiebatur omnimoda libertate ab onere Decimarum, ità eadem libertas volita censetur

à Par-

à Partibus quoad nouum Hortum cum antiquo incorporandum ad substentationem Religiosorum, ne aliàs corruat Causa finalis, & vtilitas, super qua sistit essentia Contractus, & vna, eademque substantia diuerso Iure censeatur *Cap. cùm Tua de Decim. Rebuff. de Decim. quæst.* 14. *num.* 20., *Monet. eodem tractat. cap.* 4. *num.* 84., *& Rota decis.* 256. *n.* 14. *cor. Vbaldo.*

Apertiùs etiam eadem Immunitas, & libertas conuincebatur ex eo, quod in Instrumento Permutationis Computatores maiores Capituli emiserunt obligationem docendi de libertate eiusdem Horti per publicam attestationem, tàm Notarij eiusdem Capituli, quàm alterius Notarij Regimenti Ciuitatis Hispalen.; Cumquè documenta, & Scripturæ concernentia hypothecas, & alia quæcumque onera temporalia, quæ possent esse infixa Prædio, seù Horti controuerso retinerentur per Notarium Regimenti; Libri verò, & Scripturę retentæ per alium Notarium Capituli concernerent arrendamenta, & Decimas, vt ex *Summario Patrum numero* 10.; Hìnc præmissa obligatio quoad attestationem Notarij Capituli vltrà aliam similem Notarij Regimenti super libertate Horti non poterat ferire, quàm Libertatem, & Immunitatem à Decimis, sinè qua eadem attestatio quoad Notarium Capituli tam solemnitèr in pactum deducta, fuisset apertè fatua, & frustratoria contra regulam, de qua *Cęphal. cons.* 87. *num.* 10., *Rocc. disputat. Iur. cap.* 121. *numero primo versicul. Idque*, *Rot. in recen. part.* 19. *decis.* 175. *num.* 2., *& in Romana Restitutionis Hæreditatis super Reseruatis* 21. *Ianuarij* 1704. §. *Et sanè coram R.P. D. meo Lancetta.*

Deniquè omnia coronat subsecuta obseruantia, Capitulum enìm ab anno 1652., quo Permutatio fuerat expleta vsque ad annum 1693., nunquàm vel iudicialiter, vel extraiudicialitèr petijt Decimas ex controuerso Horto, adeoùt sempèr magis conuincatur, agnouisse libertatem, & Immunitatem à controuersis Decimis hactenùs expensam tanquàm Contractui per ipsum Capitulum inito connaturalem, & ab illo inseparabilem; Obseruantia enìm quatraginta ferè annorum, quot intercesserunt à die Contractus ad diem Petitionis, dicitur temporis longissimi, eaque est melior, ac magis fidelis interpræs, quæ possit dari ad dignoscendum quid fuerit in Contractu compræhensum, *Rot. in recent. parte* 19. *decis.* 437. *num.* 12., *& post Salgad. Labyrinth. Credit. decis.* 38. *num.* 15., *& in Cęsenaten. Legitimæ supèr Bonis Emphytheuticis* 18. *Februarij* 1705. §. *Et Demùm coram Eminentissimo Priolo.*

Sentientes Defensores Capituli vim, & efficaciam præmissorum, frustrà recurrebant tanquàm ad Aram ad suppositam pertinentiam Decimarum pænes Reuerendissimum Archiepiscopum, in cujus præiudicium Capitulum tanquàm nudus Administrator non po-

A 3 tue-

tuerit illas remittere, præsertìm absque Beneplacito Apostolico; Quandoquidèm etsi Archiepiscopus sit Parochus Vniuersalis totius Dięcesis, non tamèn omnes Decimas sibi priuatiuè debitas dicere potest: Cùm enìm omnia Iura Parochialia competant Ecclesiæ Metropolitanæ, quià hæc ob defectum diuisionis Parochiarum dicitur Parochia vniuersalis, vt benè admonent *Franc. de Eccl.Cathed.cap.21.sub n.17.*, *Rot.diuers.par.2.dec.409 sub n.5. vers.Et licèt,& cor.Pęn.dec.1163.sub n.13.*, quemadmodùm proindè omnes Decimæ dicuntur principalitèr ad eam spectare, ita illæ debent intèr Archiepiscopum, & Capitulum diuidi, vt de decimis quomodolibèt ad Cathedralem spectantibus, est *Textus expræssus in cap. vltimo*, ibi = *Intèr fratres diuidat de Offic. Custod.*, *Rebuff. de decim quæst.7. num.13.*, *Monet. eodem tract. cap. 7. quæst. 2. num.13.*, *Rota coràm Coccino decis 254. num.4.*, *& coràm Zarat. decis. 74. num. 2.*, præsertìm in Regnis Hyspaniarum, in quibus Ecclesiæ Cathedrales, Dignitates, & alia Beneficia fundata sunt supèr Decimis, quemadmodùm aduertunt, *Adden. ad Buratt. decis. 402. sub num. 6.*, *Rota coràm Gregor. decis. 429. num. 6.*, *& coràm Cerro decis. 544. paritèr num.6.*

Vndè his stantibus, dicebant Domini, defectum potestatis ex parte Capituli inallegabilem fore sub obtentù, quod controuersæ Decimæ ad Archiepiscopum spectent, nàm illæ compræhendi possunt sub illa portione Decimarum, quæ exempta ab Archipræsulis participatione, & dominio fuerit eidem Capitulo assignata; Quemadmodùm de facto ex pluribus confessionibus Canonicorum ipsius Capituli, de quibus in *Summario Replicationis Patrum Numero Vnico*, constitit, decimas exigendas in contrata *de Triana*, in qua positus est Hortus controuersus, spectare, & pertinere ad partem, & portionem Decani, & Capitularium, qui propterea non possunt allegare prætensum Ius Archiepiscopi ob resistentiam propriæ confessionis, ad vulgata Iura.

Defectus verò Beneplaciti Apostolici nec obstat, cùm illud nullatenùs requiratur, vbi non agitur de vera, & reali distractione Decimarum, sed de contractu Permutationis authoritate Nuncij Apostolici concluso, in quo vtpotè oneroso, & correspectiuo, iustum, & æquum erat, quod Patres Carmelitæ loco Domorum, quas ipsi omninò liberas relaxarunt, Hortum per viam Permutationis æquè liberum reciperent, vt in præcisis terminis Decimarum tradunt Communitèr, *Passerin. supèr 6. Decretal. lib.3. tit. de Decim. quæst. vnica art.15. num.423.*, *Soccin. sen. consil. 268. num. 4. tom. 2.*, *Suarez. de relig. tract. 2. lib. primo cap. 20. num. 6.*, *Nicol. elucubr. Canon. lib.3. tit.30. de decim. num. 5.*, quìn potiùs defectus in contractu esset insanabilis in sensu contrario, vbi scilicèt dicti Patres pro Domibus maioris red-

redditus, & valoris, & omninò liberis coacti fuissent recipere Hortum, nedùm minoris redditus, sed etiam prætenso Iuri decimandi obnoxium, quo casu contractus contrà omnem æquitatem apertè claudicaret, *Bero. consil. 70. num. 49. libr. primo, & Rota in Pisauren. Emphytheusis 29. Ianuarij 1712. §. Deficiente cor. R. P. D. meo Ansaldo confirmat. 2. Decembris eiusdem anni §. Serutatis cor. me.*

Non subsistente, quod antè contractum Permutationis Decimæ verisimilitèr soluerentur ex Horto, cùm fuerint nominatæ in locationibus eiusdem Horti, quoniàm expressio, siuè pactum in dictis Locationibus exaratum videtur potiùs appositum de stylo Notarij eamdem formulam in hisce contractibus vnicè seruantis, quàm de voluntate partium, nè aliàs fatuè contrà euidentiam facti volitum censeri debeat ob nimiam implicantiam seruitutis actiuæ in re propria, in cuius rei comprobationem optimè conueniunt Depositiones plurium conductorum, & Decimarum Administratorum, *Summario Patrum Num. 3., & 4.*, ingenuè de facto proprio deponentium de omnimoda libertate Hortorum sub dominio. & proprietate Capituli existentium, eam adducendo rationem, quia ipsi nunquàm ex præfatis Hortis Decimas nec soluerunt, nèc respectiuè exegerunt, immò quando ponebatur virga, seù firmabatur Status Decimarum de Hortis in contrata *de Triana*, sempèr excipiebantur Horti ad Capitulum spectantes, propptereaque huiusmodi libertas tali modo comprobata obumbrari non potest à recensita expressione, seù pacto perfunctoriè in dictis locationibus exarato, redeunte sempèr fundamentali ea ratione, quod Decimæ, quatenùs etiam præcedentèr deberi possent ex Horto, non tamèn debentur, postquàm iste vti permutatus cum re omninò libera, ex natura contractus euasit æquè liber, ex superiùs animaduersis §. *Rationibus*.

Atque hinc non iuuit generalis illa animaduersio, quod Decima tanquàm onus intrinsecum, & ex natura rei non veniat in generali promissione libertatis, illa enim posset procedere vbi, & quatenùs ageretur de Tertio agente ex prætenso Iure decimandi, sed remanet prorsùs inallegabilis à Capitulo prætendente Ius decimandi super re, cuius libertatem ipse amplissimè promisit, & in cuius locum rem æquè liberam habuit, in quibus terminis, vel Decima præexistere non poterat in eodem subiecto, vel per promissionem libertatis sublata, & extincta censetur, nisi fuerit litteralitèr, & expressè præseruata, prout vltrà superiùs allegatos dixit *Bertazzol. de clauf. clauf. 23 gloss. 3. num. 5., Cancer. var. resol. par. 3. cap. 4. numero 210.*, cum alijs relatis per *Cenc. de Cens. quæst. 114. sub num. 4.*

Leuioris roboris apparuit obiectum, quod Hortus moderno tempo-

re

re vberiores reddat fructus; Siquidèm successiua hæc vtilitas, quatenùs etiam adesset, iam fuerat præuisa in ipso instanti permutationis Horti, in cuius locum ideò Patres tradiderunt Domos vberioris redditus, quia præuidebant, qnod per vnionem faciendam cum Horto veteri, vberiores poterant sperari fructus, quando de cætero excrescentia fructuum posset vim facere, vbi res esset de nudo, & lucratiuo priuilegio exemptionis à decimis, non verò in exemptione per contractum onerosum, & vltrò, citroque obligatorium promissa, ad cuius æqualitatem, & iustitiam metiendam attenditur præsentaneus status rei, non autem subsecutus euentus, *Abb. in cap. Sugestum num 6 de decim.*, *Soccin. Iun. cons. 60. nu. 58. lib. 3.*, *Card. de Luca de decim. disc. 3. num. 13.*, *& Rota decis. 675. num. 5., & 6. coram Cerro*.

Ex hactenùs dictis licèt abundè propulsata videri posset prætensa actio Capituli, nihilominùs superaccedebat alia æquè valida exceptio ad illam semper magis euertendam, quia scilicèt Hortus, de quo agitur, extitit intrà septa Conuentus, & proprijs sumptibus Patrum colitur ad vnicum finem conuertendi illius fructus in propriam dumtaxàt, & necessariam substentationem, ideòque remanet immunis, & exemptus à decimis, iuxtà dispositionem Iuris, de qua *in cap. Ex parte de Decim.*, *Fagnan. in cap. Nuper eodem titul. num. 13.*, *Couar. var. resol. lib. primo cap. 17. num. 9.*, *Rebuff. de Decim. quæst. 13. num. 163.*, *Rota coram Manzaned. decis. 853. num. 2.*

Non obstante, quod exemptio procedat tantùm quoad illos fructus, qui in necessarios vsus Conuentus vertuntur, non autèm quoad alios vltrà necessitatem perceptos, & qui exponuntur venditioni ad captandum lucrum; Quamuis enim Priuilegium generalitèr loquatur, & quod lex non distinguit, neque nos distinguere debeamus, *Gonzal. in dicto cap. Ex parte num. 3. de Decim.*, nihilominùs ad tollendam quamcumque amaritudinem ponderabant Domini, quod distinctio posset officere vbi, & quatenùs Patres ex Horto colligerent fructus abundè sufficientes ad propriam substentationem, & etiam alios supererogatoriè colligerent ad merum captandum lucrum, sed nequaquàm officit, immò fauet, vbi, prout hic, paupertas Conuentus, & substentatio Patrum, neque etiam plenè potest subleuari ab importantia omnium fructuum Horti, tunc enim cum omnes inseruiant vsui, & substentationi, & in vllum lucrum deflectant, omnes etiam debent esse exempti à Decimis, *Colleg. Salmaticen. curs. moral. tom. 4. tract. 18. cap. 3. de Priuil. Regular. punct. 2. num. 67.*

Ratione illa à priori, quia scilicèt fundamentalis causa Priuilegij stat in eo, quod fructus inseruiant vsui, & substentationi Religiosorum; Vndè per hoc, quod aliqua species fructuum magis abundantèr in Horto producta vendatur, non ad lucrum, sed ad compa-

ran-

randas alias species fructuum necessarias dictæ substentationi, quę in Horto non sunt, exindè cessare non debet Priuilegium, quia non cessat ratio erogationis in propriam substentationem, quæ est basis Priuilegij, ad *Text. in leg. Illud 32. ibique Gloss. ff. ad leg. Aquil.*, *Rota coram Priolo decis. 229. num. 8., & decis. 657. num. 10. coram Dunoz. Iun.*, & nullum est assignabile præiudicium Decimatoris, qui quemadmodùm non posset prætendere Decimas, vbi Hortus produceret species fructuum in qualitate, & quantitate necessarias vsui, & substentationi Religiosorum, ità neque percipit easdem Decimas ex illa specie fructuum, quæ licèt percipiatur in quantitate excedente vsum, & substentationem, est tamèn necessaria, vt per viam venditionis comparentur, & emantur aliæ species fructuum, puta, vini, olei, & similium, quibus pernecesse indigent Religiosi ad proprium vsum, & substentationem; Tùnc enim cum venditio, & permutatio in nullum lucrum, vel mercimonium deflectat, sed potiùs sapiat subrogationem vnius rei loco alterius magis necessariæ, indistinctè procedit Priuilegium exemptiuum, quia indistinctè vrget ratio eiusdem Priuilegij, *Clement. quia contingit verb. vsus suos de Relig. Domib.*, & generalitèr dixit *Rota dec. 185. num. 8. coram Benincas. & decis. 52. num. 4. par. 14. recent*, eodem prorsùs modo, quo Clerici licet gaudeant Immunitate à gabellis pro illis rebus, quas emunt, vel vendunt in vsus suos, non verò quoad illas, quas negotiationis causa contrectant, non tamen soluunt gabellas, si quid vendant, vel comparent pro sui, & Domus propriæ substentatione, *Panimoll. annot. 5. ad decis. 6. num. 4. & 5.*, *Barbosa de offic. Episc. alleg. 13. num. 11.*

Ægestas autèm Religiosorum, cui neque sufficiant omnes fructus ex Horto recollecti, abundè iustificata apparuit ex ingenti caterua Testium concorditèr deponentium, mox dictum Hortum, de cuius amplitudine, & extensione præcisè, & ad partes loquuntur, deductis necessarijs expensis, non excedere annuum redditum sc. 240. 46. omninò insufficientem, & incapacem pro substentandis Religiosis in num. 53. *degentibus*, & inhabitantibus Cænobium S. Mariæ, qui coguntur ostiatim quæstuare, vt domesticis, & necessarijs indigentijs succurrant, *Summ. nu. 3. & 5. lit. A. cum plur. seqq.*, & præcipuè *sub litt. L.*, quibus quidem Testibus nequaquam contraponi posse visi sunt Testes contrarij, cum non sint concordes, neque in extensione eiusdem Horti, multoque minùs in quantitate annui fructus, quam aliqui taxant in annuis ducatis 5000., alij verò in annuis ducatis 3000., & ideò nihil concludunt, *Rota coram Coccin. decis. 1734. num. 16. & decis. 99. num. 7. par. 15. recent.*, magis quia loquentes de quantitate, & extensione Horti aduersantur quantitati stabilitæ in mensuratione facta de anno 1641., cum qua potiùs conueniunt Testes Conuentus, vt patet, combinando *præteritum contrarium Summarium num. primo litter. DD.*, cum

præ-

præſenti ipſius Conuentus *numero* 3. *littera A.*, *&* 5. *littera H.*, ideòque multò minùs poterant attendi, cum in concurſu præualere debeat eadem menſuratio, quæ vti facta, & producta à Capitulo, plenè probat contrà Producentem, *Rota coram Remboldo deciſ. 599. num. 2.*, *& in Toletana Iuriſdictionis ſuper Decimis* 21. *Aprilis* 1690. §. *Huiuſmodi coram Reuerendiſſimo Domino Decano*.

Et ità, prætermiſſa tanquàm ſuperflua indagine exemptionis deſumpta ex Apoſtolicis Priuilegijs, concluſum fuit, vtraque &c.

ROMÆ, MDCCXV.
Ex Typographia Reu. Cam. Apoſtolicæ.

SVPERIORVM PERMISSV.